

Micba argenteos mille & centum, & tulit mater ejus du-
centos argenteos, & dedit eos argentario; & fecit ex eis
מַסְכָּה וּמַסְכָּה i.e. sculptile & conflatile; & fuit in domo
Micba. Viro autem *Micba* fuit domus DEI; fecitq; תְּרַפִּים
וְתַרְפִּים i.e. superbumerale, & *Teraphim* &c. & cap.
XII. v. 14. Num nostis, quod est in domibus istis super-
bumerale & *Teraphim*, & sculptile, & conflatile? quæ ver-
ba, versu sequente 18. repetuntur.

12. Aliqui existimant *sculptile* & *conflatile*, unum
fuisse idolum; à quorum partibus stat *Tostatus*, *Episco-
pus Abulensis*: alii tamen non malè id cum *Cajetano*
negant; quod cap. XII. v. 17. & 18. clarè satis sejun-
tantur, & distinguantur. Ac vult *Cajetanus*; idem, quod
ratione artis, vocetur *sculptile* & *conflatile*, etiam ra-
tione officii, quod in divinando positum, *Teraphim*,
nuncupari.

13. Atqui obstat hoc; quod tanquam res omni-
nò diversæ, *sculptile*, & *Ephod*, & *Teraphim*, & *conflatile*
recenseantur; & quidem ista serie, quæ non obscurè
innuit, non *sculptile* tantum à *conflatili*, velut rem à re;
sed ab utroq; etiam *Teraphim* distingui.

14. Dicimus igitur: *Teraphim* hîc non tam
ipsa notare simulacra, quàm sacrum adparatum, quo
istis ministraretur: quemadmodum c. XVII. v. 5. dici-
tur, factis jam *sculptili* & *conflatili*, *Ephod* de-
mum & *Teraphim* fuisse addita. Hoc docuit nos *B.
Hieronymus*: *Micba*, cum veste sacerdotali, cætera quoq;
quæ ad sacerdotalia pertinent ornamenta, per *Teraphim* fe-
cisse monstratur. Epist. CXXX. ad Marcellam. Eodem
modo Theologus pientissimus doctissimusq; *Johan-
nes Brentius*: *Faciunt Ephod, hoc est, superbumerale:*

B

genus